MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80318-9

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

[VARNEKE, BORIS V.]

TITLE:

MENANDREA

PLACE:

S.L.

DATE:

Master Negative #

91-80318-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88M52
DS

(Varneke, Boris Vasil'evich) 1874-
Menandrea.
p. (384)-404. 23cm.

Caption title.
From Журналъ Мин. народ. просвѣщ., августъ, 1911.
Signed: B. Warnecke.
Volume of pamphlets.

569365

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11-1-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

MENANDREA [1]).

IV. De Ovidio Menandri imitatore.

Poetas Romanorum elegiacos in carminibus amatoriis componendis haud pauca e comoediae quae vocatur nova copia Menandrique eius principis fabulis sumpsisse iam dudum a viris doctissimis probatum est. nunc, postquam papyri in Aegypto repertae tantum ad Menandri artem melius cognoscendam attulerunt, singulas elegias accuratius perquirere non a re alienum esse videtur, praesertim cum elegiae, quarum coniunctio necessitudoque cum Menandri fabulis non tam certa est, ut tota quaestio absoluta esse possit, haud desint.

I. Ut initium comparandi faciam, ad Ovidi carmen Amor. II. 12 me convertam, quod K. Bürger (De Ovidi carminum amatoriorum inventione et arte, Guelferbyti 1901, 23) e Menandro pendere eamque rem ab illo Friderico Leone probatum esse (Plautinische Forschungen, 139²) dicit. Sed, nisi a vero longius me declino, magistri verba, quae sunt haec: „Ein anderes Menandrisches Motiv erotisch gewendet: Ovid. am. II, 12, 9ff, discipulus quamvis piissimus haud accurate reddidisse videtur. Non totam enim elegiam, sed unum eius tantum versum Menandrum redolere Fr. Leo docuit, et re vera tropus, quo apud Plautum Chrysalus, ubi Bacch. v. 930: *praeut ego erum expugnabo meum sine classe sineque exercitu* dicit, utitur, idem est, quem Ovidius in initio huius carminis adhibuit:

Mea sepositast et omni milite discors
Gloria, nec titulum muneris alter habet.
Me duce ad hunc voti finem, me milite veni
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.

[1]) Quae anno MCMIX horum actorum parte XIX n. s. egi continuantur.

Sed cum ne horum quidem versuum singula Chrysali verba reddant, reliqua eiusdem carminis pars nihil cum hoc Plauti loco commune habet. ut obiter dicam G. Nemethyius, qui in editione Amorum (Budapestini MCMVII) Ovidium in initio huius elegiae componendo Properti II, 14 ante oculos habuisse opinatur, carmina longius inter se distantia frustra coniungere videtur. Comparatio enim amoris et militiae usitatior est, quod exempli gratia ex Alberti Lueneburgi De Ovidio imitatore sui (Ienae 1888, 12) dissertatione, ubi ex Ovidi carminibus amatoriis locos, qui hanc rem diversissimis modis tractant, collegerat, perspici potest. Haud immerito peritissimus harum rerum magister Naso ipse amorem militiae speciem esse Art. II, 233 docet. Sed nunc praesto sunt Menandri versus, qui his Plautinis ad hunc Ovidi locum multo propius accedunt. Periceromenes enim fragmentum in scheda Lipsiensi servatum concilium quoddam continet, ubi ratio totius actionis instituatur (vv. 217 K), cui dialogo haud pauci loci insunt, ubi amantis, qui puellae potiundae cupiditate ardet, inceptum per vocabula artis militariae propria describitur. perlegas, quaeso, vel hos versus:

218 ...προδίδωσίν σε καὶ τὸ στρατόπεδον.
κἄθευδ' ἀπελθὼν ὦ μακάριε τὰς μάχας
ταύτας ἐάσας.
228 κακῶς διοικεῖς τὸν πόλεμον, διαλύσεται
δέον λαβεῖν κατὰ κράτος.
230 οὐκ ἔσθ' ἡγέμων.
233 ἔχεις τι πρὸς πολιορκίαν σὺ χρήσιμον:
δύνασαι τ'ἀναβαίνειν, περικαθῆσθαι.

Quos omnes versus A. Koertius Sosiae dat, K. Fr. W. Schmidt autem in sagacissima commentatione, quam *Menanders Perikeiromene* inscriptam Hermae volumine XLIV (MCMIX, 403 — 444) publici iuris fecit, eos inter Pataecum, Habrotonon meretricem, Polemonem, Sosiam distribuit, quod Gregorius Zeretelius in elegantissima versione sua, qua litteras rossicas ornavit (*Журн. Мин. Нар. Просв.* 1910, № 1, 28 — 29) sequi maluit; mihi quidem distributio versuum, ab A. Koertio data, praeter alias ob eam quoque causam longe praeferenda esse videtur, quod per eam omnia haec vocabula quae quam maxime artem militarem redolent, uni Sosiae tribuuntur; Sosiam autem ξένον *geworbenen Soldat* esse ipse K. Fr. W. Schmidt p. 406 opusculi laudati docuit. Sed cui, nisi militi, militaria vocabula meliore iure tribui possunt? Ita A. Koertio, illo novi Menandri sospitatore, duce id quoque lucramur,

quod tum Menandrum singula vocabula non temere sparsisse, sed de industria certamque rationem secutum ita, ut per ea singularum personarum vitae moresque cum maxima proprietate descripta sint, elegisse apparebit.

Quae cum ita sint, Menander sermonis figuras troposque non tantum ad permovendos animos et res signandas ac sub oculos subiciendas, ut Quintiliani verbis (VIII, 6, 19) utar, adhibuit, sed ne id, quod Plutarchus in Aristophanis Menandrique comparationis capite primo veteris comoediae principi, cum dixit: οὐδὲ τὸ πρέπον ἑκάστῃ καὶ οἰκεῖον ἀποδίδωσιν, οἷον λέγω τῷ βασιλεῖ τὸν ὄγκον, τῷ ῥήτορι τὴν δεινότητα, γυναικὶ τὸ ἁπλοῦν, ἰδιώτῃ τὸ πεζόν, ἀγοραίῳ τὸ φορτικόν, ἀλλ' ὥσπερ ἀπὸ κληροῦ ἀπονέμει τοῖς προσώποις τὰ προστυχόντα τῶν ὀνομάτων καὶ οὐκ ἄν διαγνοίης εἴτε θεὸς εἴτε γραῦς εἴτε ἥρως ὁ διαλεγόμενος vitio dedit, ipse admitteret. Immo luculentissimum exemplum eius sermonis, quem Aristoteles (Rhet. III, 7) ἠθικὴν λέξιν vocavit, Menander his quoque versibus dedit. Haud temere enim idem Plutarchus laudavit eum, quod οὕτως ἔμειξε (quod H. de Arnim pro vulgato ἔδειξε posuit) τὴν λέξιν, ὥστε πάσῃ καὶ φύσει καὶ διαθέσει καὶ ἡλικίᾳ σύμμετρον εἶναι. Neque Quintilianus eiusdem artem, propter quam *omnibus rebus, personis, affectibus est accommodatus* summis laudibus, quae peripateticorum iudicia redolere H. de Arnim docuit (Neue Jahrbücher 1910 № 4, 245), efferre destitit.

II. Antequam Aegyptus nos Periceromenes fragmentis longioribus benignissime donaret, a hac fabula Ovidi Am. I, 7 aeque ac Tibulli I, 10, 53—66 Propertique II, 5, 21—26 pendere constabat. cf. K. Bürger o. c. p. 23. Sed Th. Gollnischius (Quaestiones elegiacae. Vratislawiae MCMV, 21) et Tibullum et Propertium eo a Menandro discedere putat quod se puellas numquam violaturos esse profiteantur. Praeterea, ait vir doctissimus, uterque inducit iuvenem, amicae ianuam effringentem, id quod a Menandri fabula, ubi puella in amatoris domo versatur, derivari vix potuit". Haec, nimirum, non scripsisset, si commentationem suam postquam fragmenta illa Cairensia publici iuris facta sunt, composuisset: Glyceram enim post Polemonis facinus indignissimum domo relicta a Myrrhina receptam esse versus: 76, 84, 131, 141, 210—212 K. docent.

Quam saepissime autem in poesi amatoria de puellae ianua effringenda agatur, vel ex eis locis, quos V. Hoelzer in commentatione utilissima, quae inscribitur: De poesi amatoria, a comicis atticis exculta ab elegiacis imitatione expressa Marpurgi MDCCCIC pp. 63—64, collegit, perspici potest. (cf. Fr. Leo, Plautinische Forschungen, 140), quo

nunc Periceromenes quoque versus 199 sqq. addendi sunt, ubi legitur:

κατὰ κράτος τὸ δοστυχές
οἰκίδιον τοῦτ' αὐτίκ' ἐξαιρήσομεν,
ὅπλιζε τὸν μοιχόν,

unde ne huic quidem fabulae scaenam, ubi iuvenis amore caeco captus ianuae effringendae consilium iniret, defuisse patet, quod autem editores hos versus non ipsi Polemoni, sed Sosiae, qui ei semper sedulo studet, tribuunt (vid. A. Koerte, Menandrea, Lipsiae MCMIX, p. XXXVI), nullius momenti esse videtur propter ea quod Tibullus non totam Menandri fabulam ad carminis elegiaci formam reduxit, sed singulas tantum res inde sumpsit pluribus suo Marte libere fictis. Ita exempli causa, cum apud Menandrum victor barbarissimus miles est, apud Tibullum eadem vice turpissima homo rusticus, qui male sobrius uxorem progeniemque e lucu domum vehit (vv. 55—56), fungitur. Unde vel ipsum Tibullum vel potius auctorem eius graecum (cf. F. Jacoby. Bph. W. 1905, № 38, 2109) pro hominibus urbanis rusticos posuisse apparet, quod cum elegiae generi, bucolica suis admiscere solitae (cf. R. Reitzenstein in Encyclopaedia Pauly-Wissowae VI s. v. Elegie), aptius erat, tum a Menandri arte toto caelo distabat.

Inter posterioris aetatis litterarum monumenta, quae ab hac notissima fabula pendeant, duae Philostrati epistolae citari solent: 16 (26) et 61 (64), quarum priorem Menandri fabulam redolere vel prima eius verba: οὔδ' ὁ τοῦ Μενάνδρου Πολέμων καλὸν μειράκιον περιέκειρεν κτλ. quam optime probant. Initio autem alterius epistolae iuvenis quidam indignatur, quod barbarus menteque privatus Veneris muneribus parcere noluerit puellamque pulcherrimam totonderit. quod facinus eo turpius ei videtur, quod οὐδὲ γῆ κομῶσα ἡδὺ οὕτω θέαμα ὡς γυνὴ κατάκομος. quale facinus nemo, nisi ἀνόητος καὶ βάρβαρος patrare potuit. quae epitheta eodem ordine disposita apud Ovidium recurrunt v. 19: *quis mihi non demens, quis non mihi barbare dixit*, quod e communi fonte graeco Ovidius aeque ac Philostratus hausisse videntur, sed diversas in partes utrumque recessisse iam Maximilianus Heinemann vidit, qui hanc rem in dissertatione, quae inscribitur: Epistulae amatoriae quomodo cohaereant cum elegiis Alexandrinis, Argentorati MCMX, 76—77 tetigit, ubi Philostrati epistulam 61 (64) et Ovid. Am. I, 7 eo argumentis inter se dissentire censet, quod cum Philostratus puellam ab amatore tonsam se invenire fingat graviterque scelestum incuset, Ovidius puellam semet ipsum verberasse crinesque eius vexasse tantum non detondisse con-

fiteatur. Deinde adhibito Rufini epigrammate (Anth. Pal. V, 41), qui multo propius ad Philostratum accedat, epistolographum a Rufini epigrammate proficisci coloresque quosdam e Menandri Περικειρομένη petitos admiscuisse opinatur. quod minime ad ea, quae deinceps sequuntur, quadrat. „Ipsam non adiit comoediam", Philostratus, nimirum. Sed quomodo epistolographus Rufini epigrammati singulos colores e Menandri Περικειρομένη petitos admiscere potuit, nisi eam ipse adiisset? Ex Rufini autem epigrammatibus 41 aeque ac 43 nullo modo perspicere potuit tale argumentum a Menandro tractatum esse: ne ullo enim verbo Rufinus ibi Menandri mentionem facit. Sed eiusdem Philostrati epistola 16 (26) ut supra vidimus, omnem dubitationem, utrum Philostratus Menandri comoediae argumentum compertum habuerit, nec ne, tollit.

Quae cum ita sint, Heinemanno antequam Philostratum in epistola 61 (64) componenda Menandri fabulam non adiisse probaret, epistolas 16 (26) et 61 (64) non ab eodem Philostrato, sed a diversis auctoribus compositas esse demonstrandum erat, quod nullo modo probari potest. Praeterea discipulus qua est pietate cum haec omnia probare studet, ea, quae magister eius Ricardus Reitzenstein in eadem libelli eius parte, qui fere solus Heinemanni dissertationi materiam consiliumque praebuit—Hellenistische Wundererzählungen (Lipsiae MCMVI) dico—de hoc Ovidi carmine iudicavit, neglexisse videtur. quem ea res, quod Ovidi carmen Amor. I, 7 haud pauca eaque graviora talia praebet, quae frustra apud Menandrum quaeras, minime impedivit, quominus p. 158 diceret „Am. I, 7 *adde manus in vincla meas* ein greifbar aus der Περικειρομένη Menanders weiter gebildeter Stoff." quod etiam in Philostrati epistolis eiusdem argumenti iudicandis quam maxime respiciendum fuit.

Quod ad Rufini epigrammata pertinet, eo a Philostrato Ovidioque discedere videntur, quod non iuvenem, sed lenam anum cum puella colloquentem facit, quod ex allocutione: τέκνον (Rufini 41, 3; 43, 5) non adulescentis, sed matris propria, patet (confer meum libellum: **Наблюденія надъ древнеримской комедіей** Казань 1905, 184, quo Athen. XIII 581, 582 e, Menandri fr. 558 K addas quaeso). Ita non adolescentis poenitentia affecti, sed lenae προσωποποίαν haec Rufini epigrammata praebent, unde ἦθος eorum longe aliud est atque in Ovidi Philostratique opusculis, quod Heinemannum fugisse doleo. Sed ut ad discrimen, quod inter Ovidi carmen Philostratique epistolam 61 (64) exstat, redeam, poeta elegiacus Romanus quamvis eum poeniteat, puellam, ut iniuriam gravissimam a se illatam digne ulciscatur, inguinibus in vultus suos ire neque capillis neque oculis amatoris improbissimi parcere iubet.

Ita tenerorum lusor amorum illa amantium proelia ut restituantur cupit, quae iuvenibus gratissima esse Horatius profitetur (Carm. I, 6, 18). et auctor Artis amatoriae nisi ea quam maxime ad gratiam reconciliandam prodesse optime cognitum habuisset, numquam ea quae Artis II v. 451 sq. leguntur, scripsisset:

Ille ego sim cuius laniet furiosa capillos.
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas...
... Hoc uno solvitur ira modo:
Cum bene saevierit, cum certa videbitur hostis,
Tum pete concubitus foedera: mitis erit.

Propertio quoque, harum rerum testi, nimirum, peritissimo si fidem damus, Cynthia postquam perfidiam amatoris certissime perspexit, suae perfidiae sempiternae oblita, Phyllidos miserae iratos in voltum coniecit ungues (IV, 8, 57), poetae perversa manu ora sauciavit, imposuitque notam collo morsuque cruentavit, sed praecipue oculos, qui meruere, ferit (vv. 64—66). Quae proelia minime prohibuerunt amatores reconciliata pace suavissima toto solvere arma toro (v. 89).

Sic apud Ovidium poenitentiae confessio, sincera nimirum, per carminis decursum in iocos lususque exit. Totius enim carminis finis exitusque, quem ad ἦθος carminum recte cognoscendum quam plurime valere inter omnes constat, hic est: *pone recompositas in statione comas*, quam rem homo vero gravioreque dolore affectus nullo modo curare potuit. Quam ob rem ne hoc quidem Ovidi carmen ab iocosa hilarioreque Musa abiudicandum esse videtur.

Longe alius est animus invenis, quem Philostratus epistolam 61 (64) scribere facit: ἐπεὶ τετέλεσται τὰ δεινά, κἂν μήνυσον τὰς κόμας ποῦ κεῖνται, ποῦ τέτμηνται, πῶς αὐτὰς ὑποσπόνδους λάβω, πῶς φιλήσω χάμαι κειμένας. Nihil est, cur haec omnia non a Polemonis Menandrei tantum, sed etiam ab Ovidi moribus quam maxime aliena esse moneam. Tam enim exquisita et ut ita dicam calamistris artificiose inusta sunt, ut a Menandri ingenio sano simplicioreque longissime discedere videantur. Immo propius huc illa Anacreontis vota:

ἐγὼ δ' ἔσοπτρον εἴην,
ὅπως ἀεὶ βλέπῃς με·
ἐγὼ χιτὼν γενοίμην,
ὅπως ἀεὶ φορῇς με.
ὕδωρ θέλω γενέσθαι,
ὅπως σε χρῶτα λούσω·

μύρον, γύναι, γενοίμην,
12 ὅπως ἐγὼ σ'αλείψω.
καὶ ταινίη δὲ μαστῶν
καὶ μάργαρον τραχήλῳ
καὶ σάνδαλον γενοίμην
18 μόνον ποσὶν πάτει με

(Anacreontea 22 εἰς λύρην), ubi quamvis singula nihil cum Philostrati epistola commune habeant, sed animus sensusque iuvenis personati fere idem sit, accedunt.

Itaque Menander, Ovidius, Philostratus eandem rem non eisdem, sed diversissimis modis tractaverunt, sed ita inter se discrepant, ut sui quisque ingenii aetatisque notas certissimas operibus suis imposuerint.

Ut obiter dicam, K. Reitzeinstein in libello supra laudato: Hellenistische Wundererzählungen (p. 158) dicit: eine Verwendung und Variation desselben Motivs finde ich bei Tibull I, 6, 71—74; cuius loci sensum si recte perspicio, ad Pauli Silentiarii epigrammata V, 218 et 248 comparanda cum his Tibulli versibus vocat, quorum vis ut recte perspici possit, etiam, qui praecedunt, exscribendi sunt:

Et mihi sint duræ leges, laudare nec ullam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos,
Et siquid peccasse puter, ducarque capillis
Inmerito pronas proripiarque vias.
Non ego te pulsare velim, sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus,

unde hunc Tibulli locum cum Menandri fabula notissima nihil commune habere patet. Apud Menandrum enim iuvenis nullum aemulum patitur, Tibullus eadem caeca cupidine puellam ardere facit, quae nullam aliam nisi se, ab amatore laudari patitur. et inter Pauli Silentiarii epigrammata talia frustra quaeras. sed si quem hos Tibulli versus cum quibusdam aliis comparare nimis iuvat, nihil praeter Ovidi ex eadem elegia petitos versus, qui ad comparationem vocari possint, invenio:

23—24 *Ante meos umeris vellem cecidisse lacertos:*
Utiliter potui parte carere mei.

III. Carmen Ovidi Am. III, 4 cum Menandro „miro quodam modo concordare“ Th. Gollnischius l. l. putat, cuius vestigia et in hac quoque re G. Nemethyius in commentario suo ad huius elegiae singulos versus

quam fidelissime sequitur. Quo carmine poeta marito, qui puellae custodiam imposuit, nil eum agere persuadere studet, his argumentis usus:

1) Nulla puella, nisi ipsa vult, custodiri potest, cui autem peccandi libera potestas data est, rarius peccat (v. 9).

2) Custodia puellae imposita nihil efficit, nisi ut amatorum libidines, qui semper quidquid servatur, eo magis cupiunt (v. 25), augeat (v. 29).

3) Puellam ingenuam servo vilissimo, qui potestate sibi in puellam data glorietur (v. 33—36) custodiendam tradere nefas est.

4) Maritus, quem adultera coniunx laedit, rusticior est (v. 37), hominis enim urbani est indulgere libidinibus dominae amicosque, quos uxor dederit, quam maxime colere (vv. 43—45).

Quam elegiam Gollnischius ut a comoedia attica pendere probet, cum Menandri fragmento apud Stobaeum flor. 74, 27 servato Terentianaeque Eunuchi vv. 1072—1085 comparat, a quo Terenti loco, a Nemethyio quoque ad vv. 48 sq. citato, comparandi initium faciam.

Tota fere fabula peracta postquam Thraso summa infamia affectus se ab aemulo urbaniore victum esse sensit superbiaque deposita animum remisit, Gnatho, ille parasitus callidissimus, sperans, nimirum, se aliquid praemii a milite ad maximam desperationem adducto recepturum esse (cf. *Ph. Fabia*, Terenti Eunuchus, Paris 1895, 11) Phaedriam, ut militem rivalem recipiat feratque, monet: *quod des, paucumst, et necessest multum accipere Thaidem, ut tuo amori suppeditare possint sine sumptu tuo omnia haec, magis opportunus nec magis ex usu tuo nemost* (vv. 1075—1077). *Neque istum metuas ne amet mulier: facile pellas, ubi velis* (vv. 1080). Quod consilium, satis turpe, postquam Phaedriae Chaereaeque placuit, parasitus edacissimus patronum suum comedendum deridendumque iuvenibus propinat (v. 1087). Sed minime est dubitandum, quin hoc consilium, multo callidius, quam honestius, Gnathoni ob eam tantum causam contigerit, quod miles „fatuus, insulsus, tardus“ (v. 1079) mimime periculosus rivalis visus sit, cuius loci maximam vim iam vetus grammaticus quam optime perspexit. Legimus enim ad v. 1079 in Donati commentarii paragrapho duodecima: *haec bene adduntur, quia quod dixit: et habet quod det et dat nemo largius, ad eam rem valebat, ut amaretur miles a meretrice et praeponendus esset omnibus, sed ingrata sunt mulierculis maximeque lascivis haec omnia, quae subiecit*; ut obiter dicam, hic quem modo exscripsi commentarii locus, minime ab eodem grammatico compositus esse potuit, qui proxima paragrapho Terentium iniustissime vituperavit, quod *haec*

quae nunc addit, non ex superioribus pendent. sed cum superiora valeant plurimum, nam cum et dives et liberalis potuit obesse rivalibus; haec omnia bona in milite corrumpuntur, quod fatuus, quod est insulsus quod cetera quae ipse persequitur. De qua scholiastae adnotatione adeas M. Dorni dissertationem De veteribus grammaticis artis Terentianae iudicibus, Halis Saxonum MDCCCCVI, p. 66. sed si rem teneo, paragraphus 12a novo lectore, qui talem vituperationem iniquam esse censebat ad paragraphi 11 sententiam refellendam addita esse videtur. Ita praesto est novum vestigium discordiae inter singularum partium commentarii qui sub Donati nomine fertur auctores, quos haud raro alterum alterius notas refutasse P. Wessner in doctissima commentatione, quae inscribitur: Aemilius Asper. Halis Saxonum MCMV docuit (videas pp. 6, 14, 29, 31, 37) qui quamvis optime de Terentio eiusque commentatoribus veteribus meritus sit, hic tamen plura probare quam quae e re nata probari possunt conatur. Cum enim aliquid singuli commentatoris proprium recte perspexit, omnes reliquas commentarii Donatiani partes, ubicunque vel eadem res vel eodem modo tractatur, eiusdem grammatici esse persuasum habet. Sed nonne commentatoribus longe diversae aetatis diversaeque doctrinae eandem tamen viam in Terenti versibus explicandis sequi licuit? Immo exempli gratia M. Valerium Probum plures sectatores habuisse Suetonius tradit (de gram. 24 Reifferscheid p. 119) quales etiam aliis grammaticis, nimirum, minime defuerunt. Saepissime enim duo homines idem ita suo quisque proprio Marte faciunt, ut duae res ut lac lactis est simile, similes fiant. Itaque quamvis simillimae inter se notae ad Eun. I, 1 (apud Wessnerum sub numero 37, p. 27 posita) et ad Phor. I, 1, 15[3] (=№ 8) sint, quid tamen obstat, ne eas a diversis grammaticis, quorum unus exempli causa notam ad Phorm. I, 1, 15[3] confecerit, alter eum secutus fere idem ad Eun. II, 1, 7 notaverit, factas esse censeamus? Quae cum ita sint, contineri non possum, quin locos a Wessnero per tabulas paginis 25—27 exscriptos ipsi Aspero tribuere dubitem.

Quae omnia non obtrectaturus viro doctissimo, sed ne in praestantissimo corpore naevum caecum latere patiar, dico.

Quas singulorum Terenti commentatorum discordias ante Wessnerum notaverunt: *W. H. D. Suringar*, Historia critica scholiastarum latinorum, Lugduni Batavorum 1834, p. 18, *R. Sabbadini*, Gli scolii Donatiani. *Studi italiani di Filologia classica* III, 1894, 342 sqq. *H. T. Carsten*, De commento Aeli Donati ad Terentium. *Mnemosynae* XXXII, 307.

Sed ut post hanc longiorem ἔκφρασιν ad Ovidium redeam, poeta elegiacus lenoni marito nusquam suadet, ut eos tantum uxoris suae amicos aequo vel potius grato animo ferat, qui minime metuendi ne ab ea re vera amentur, sint. Nihil enim poeta de mariti amore agit, sed tota quaestio apud eum in lucro versatur: *gratia sic minimo magna labore venit* (v. 46). Terentianus autem Phaedria non lucri, sed amoris est cupidus, quam ob rem Gnatho ad Thrasonis causam agendam minime aggredi potuit antea, quam Phaedria suspiciones metusque suos magna ex parte vanos temerariosque esse perspexit. Sed per totius fabulae decursum Phaedria id, quod amatores, quicunque cum meretricibus commercia ineunt, optime neque sine haud exiguo damno sibi compertum habent, numquam obliviscitur: ut Ovidi verbis utar (Ars II, 277—278): *plurimus auro venit honos. auro conciliatur amor.* nihil est deinde quod Gnathoni, qui dixit: *quod des paulumst et necessest multum accipere Thaidem* respondeat iuvenis, qui neque argentum habet neque amoris vincula suavissima rumpere audet. haud parvi momenti id quoque esse videtur, quod octo versus post haec Gnathonis verba pronuntiantur, ante quam Phaedria vocem, sed brevissimam, edat: *idem ego arbitror*, quae verba animi laeti certique propria esse nemo est, qui censeat. Quam diu ac quibuscum Gnathonis laboribus cohortatio fiat, exclamatio eius: *recipiatis. satis diu hoc saxum verso* (v. 1085), ubi indignatio quaedam inesse patet, docet. Tum demum Phaedria parasito instanti cedit invitusque dicit: *Recipimus* (v. 1085). Neque postea Phaedria aliquid praeter singula verba (vv. 1088, 1094) loquitur, quae taciturnitas non gaudentis ob lucrum inventum, sed coacti tristiorisque animi signum esse certum est. Haec sunt instrumenta artis, qua Terentius ea in moribus describendis peritia, quam Varro Sat. Men. 399 B. laudibus effert Donatusque in commentario suo haud semel notavit (cf. *W. Süss*, Die Technik der Aristophanischen Komoedie. *Neue Jahrbücher*, 1910, № 6, 401), Phaedriae animum expressit ansamque nobis dedit, ob quam iuvenem tanto amore, quantum Phaedria priorum quattuor actuum prae se fert, ardentem vel minimum locum apud puellam suam, quamvis invitum, aemulo impertiri credamus.

Quid autem simile apud Ovidium est?

Quod discrimen gravissimum ideo explicandum esse videtur, quod Phaedria Terentianus eius viri, quem Ovidius monet, minime est similis. Deinde iam pridem amatores, quoscunque veterum poetarum comoediae praebent, puellis sine aemulis tum demum frui posse, si satis magnam copiam pecuniae habeant, probabam (Наблюденія, 61 sqq.). Pauperiori-

bus autem omni fastidia deposita aemulos aequo animo ferendos esse non tantum ex Terentiana Eunucho sed etiam e Truculento (vv. 417—421), Asinaria (736—737, 830—832) aliarumque fabularum locis haud paucis perspici potest.

Ita Phaedriam nil nisi paupertas, amatoribus infestissima, ut rivalem patiatur cogit. Ideo Gnatho quoque de lucro recipiendo, si Thraso particeps recipiatur, loquitur. Apud Ovidium autem neque alia ratio deest.

Profitetur enim versu 17 *nitimur in vetitum semper cupimusque negata* et 31 *iuvat inconcessa voluptas*. Sed hanc sententiam, quae nimirum hominis corruptioris fastidiosiorisque est, Ovidius haud primus protulit. Callimachus enim (A. P. XII, 102, 6—7) confitetur: χοὐμὸς ἔρως τοιόσδε τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἷδε τάδ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέτεται. Alio epigrammate Battiades dicit (Anth. Pal. XII, 43, 3—4) μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον οὔτ' ἀπὸ κρήνης πίνω, σιχαίνω πάντα τὰ δημόσια. Huc Philodemi quoque epigramma (XII, 173) referendum esse videtur:

Δημὼ με κτείνει καὶ Θέρμιον. ἡ μὲν ἑταίρη
Δημώ, ἡ δ' οὔπω Κύπριν ἐπισταμένη
καὶ τῆς μὲν ψαύω, τῆς δὲ οὐ θέμις, οὐ μὰ σέ, Κύπρι,
οὐδὲ οἶδ' ἣν εἰπεῖν δεῖ με παθεινοτέρην.
Δημαρίου λέξω τὴν παρθένον. οὐ γὰρ ἕτοιμα
βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον,

ubi ultimum versum K Bürger o. c. p. 10 cum Ovidi am. III, 4, 25—26: *quidquid servatur, cupimus magis ipsaque furem cura vocat. Pauci quod sinit alter amant*, optimo iure contulit. cf. Petron. Sat. 93: *vile est, quod licet*. Quam superbiam disertis verbis Horatius irridet, cum dicit (Sat. I, 2, 103—110):

an tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? Leporem venator ut alta
In nive sectatur positam sic tangere nolit
Cantat et adparuit: „meus est amor huic similis: nam
Transvolat in medio posita et fugientia captat".
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque graves e pectore tolli?

Quem locum M. Heinemann (Epistolae amatoriae, p. 49) ad cynicam περὶ φυγείας diatribam aut Epicurei cuiusdam sermonem refert, ad comparationem hoc epistolae Philostrati 30 (58) loco vocato, ubi adulescens quidam puellae scribit: οὐ γὰρ οὕτως τὸ φανερὸν εὐφραίνει τῆς ἐξουσίας ὡς τὸ ἀπόρρητον τῆς ἡδονῆς· πᾶν δὲ τερπνότερον τὸ κεκλεμμένον. Sed ne apud Ovidium ipsum loci desunt, ubi eadem sententia recurrat: Ars II, 597—598: *quamlibet extinctos iniuria suscitat ignes: en ego confiteor non nisi laesus amo*. Amor II, 19, 8 *nec ego, quod... nullo tempore laedat, amo*. Quid autem amatorem vehementius laedere potest, nisi puellae aditus vel per aemulum praelatum vel ob nimiam superbiam impeditus? Martialis in hac quoque re mediam viam praefert profiteturque qua sinceritate esse solet (I, 57, 1—4):

Nolo nimis facilem difficilemque (id est puellam) *nimis*
Illud quod medium est atque inter utrumque probamus.
Nec volo quod cruciat, nec volo quod satiat.

Epigrammate autem V, 83 propius ad Ovidium accedit, ubi dicit:

Insequeris—fugio; fugis—insequor. haec mihi mens est.
Velle tecum nolo, Dindyme, nolle volo.

Haec omnia ad Ovidi carmen Amor. III, 4 recte intellegendum multo plus valere videntur, quam Terenti locus, qui quanto spatio a hac elegia distet, supra pro virili parte probare conatus sum. Quam quaestiunculam ante quam absolvam, occasione oblata de hac Eunuchi scaena obiter disserere iuvat. Viri doctissimi, quicunque Terenti fabulam cum Menandreae Colacis fragmentis Oxyrinchi inventis comparaverunt, duas ultimas Eunuchi scaenas et ab Eunucho et a Colace Menandreis pendere opinantur (cf. *Fr. Leo*, Menanders Colax. *Nachrichten d. k. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen*, 1903, 691). Quam per contaminationem (de qua videas *Ph. Fabia*, op. cit. pp. 40, 41, 42—43. *Ph. Legrand*, Daos, Parisiis 1910, 353) factum est, ut Phaedriae morum conformatio, quam per fabulae decursum videmus, continuatione debita careat; animus enim adolescentis, qualem prima fabula praebet, ad ea, quae sub finem patiatur, aequo animo ferenda minime aptus esse videtur, quod haud parvum scrupulum animis eorum, quicunque Terenti opus lepidissimum legunt, inicit. Sed in Colace Menandrea puella, quam Phidias deperit, non libera meretrix, sicut Thais Terentiana est, immo lenoni avarissimo serviebat, a quo adulescenti redimenda fuit (cf. *A. Koerte*, Menandrea, XLIV), quantam autem coniunctionem ac societatem inter mores adolescentis puellaeque, quam deperit, nova quae fertur comoedia praebeat, alias ostendere studui (Роль adolescens въ древне-римской комедіи. *Журн. Мин. Нар. Просв.* 1908,

№ 8 paragraphus quinta). Longe enim alius adolescens Phronesium, alius Planesium Plautinas deperit.

Quod si tum recte perspexi, dissimiles partes adolescentium in Colace Menandrea atque in Eunucho Terentiana fuisse apparet. Phidias enim tanta pertinacia, quam Phaedria in primis Eunuchi scaenis prae se ferre solet, esse minime potuit, multoque aequiore animo si quid ex puellae gratia aemulo divitiori concedendum fuit, ferre debuit. In Pseudolo Plautina e. g. Calidorus misere miser est non quod Phoenicium sua deliciae summatum virum (v. 227) sit, libidinibus quorum nimirum indulgebat, sed quod ea a se abalienatur atque abducitur (v. 95), quae Calidori miseria quam optime cum Phidiae fortuna in Colace Menandrea descripta comparari potest. Ut Calidorum autem sed non e. g. Phaedromum e Curculione ad comparationem vocem, motus sum Colacis vv. 86—88 ἡ μία λαμβάνει ὅσον οὐχὶ δέκα, τρεῖς μνᾶς ἑκάστης ἡμέρας παρὰ τοῦ ξένου. Planesium Phaedromi amica pudica est neque dum cubitat cum viris (Curc. 57); ut Calidorus, ita Phidias quoque in Colacis exitu Biantem militem, ut par erat, vincebat (vide *A. Koerte* l. l.), cui si particeps tantum amoris reciperetur, magnae gratiae agendae erant. Ita amoris partitio, quam Eunuchi exitus praebet, multo magis Phidiae Biantique Colacis, quam Phaediae Thrasonique Eunuchi convenire videtur. quam ob rem fortasse non multum a vero aberrabimus, si hanc partitionem e Colace Menandrea sumptam a Terentio in Eunuchum translatam esse statuamus. Quantum artis Terentio, ut talis exitus fabulae initio concineret, quo Phaedriae animi mutatio haud parvo probabilior fieret, adhibendum fuerit, ne veteres quidem grammaticos, quorum de hac re iudicia supra attuli, fugit. Haec omnia docent, quantum artis Terentius in fabulis graecis contaminandis praestiterit, quantumque hac quoque re Plautum superaverit (cf. *Fr. Leo*, Plautinische Forschungen, 168). Neque immerito Terentium ab Euanthio *„quod argumenti et stili ita attente memor est, ut nusquam non caverit aut curaverit quae obesse potuerunt quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum et uno corpore videatur esse compositum“* (*P. Wessner*, Aeli Donati commentum Terenti I, p. 20, § 7) laudatum esse patet.

Sed ut at Nasonem redeamus, praeter Eunuchi locum satis superque tractatum cum eodem Ovidi carmine Menandri quoque fragmentum apud Stobaeum inter γαμικὰ παραγγέλματα servatum concordare sunt qui censeant. Legimus autem in Florilegio hos versus.

Ἢ μὴ γαμεῖν γὰρ, ἂν δ' ἅπαξ λάβῃς φέρειν
Μύσαντα πολλὴν προῖκα καὶ γυναῖκα δεῖ.

Ἐκπυνθάνεσθαι τ' ἀρσένων δ' ἡμᾶς σέθεν
τὸ μὲν μέγιστον οὖπος' ἄνδρα χρὴ σοφόν.
λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μυχοῖς δόμων.
ἐρᾶ γὰρ ὄψις τῆς ὑφ' αὑτὴν ἡδονῆς,
ἐν δ' ἀφθόνοισι τοῖς δ' ἀναστρωφωμένη
βλέπουσά τ' εἰς πᾶν καὶ παροῦσα πανταχοῦ
τὴν ὄψιν ἐμπλήσασά τ' ἀπήλλακται κακῶν·
τὸτ' ἄρσεν ἀεὶ τοῦ κεκρυμμένου λύχνου.
ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
σώζει δάμαρτα δρᾶν τι δὴ δοκῶν σοφόν,
μάταιός ἐστι καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ
ἥτις γὰρ ἡμῶν καρδίαν θύραζ' ἔχει
θᾶσσον μὲν οἰστοῦ καὶ πτεροῦ χωρίζεται,
λάθοι δ' ἂν Ἀργοῦ τὰς πυκνοφθαλμοὺς κόρας.
καὶ πρὸς κακοῖσι τοῦτο δὴ μέγας γέλως
ἀνὴρ τ' ἀχρεῖος χ' ἡ γυνὴ διοίχεται.

[Stob. Eclogae IV, 23, 26 Hense Wachsmuth IV, 1 (1909), p. 577 = 74, 27 Meineke]. Quibus ex versibus Th. Kock in suam Syllogen fragmentorum comicorum Atticorum nullos nisi duos priores versus receperat (III, p. 192, № 654) quia eos, qui his subiciantur, Menandri non esse sibi persuasum habet, Meineckium Nauckiumque secutus. Ad eosdem versus recentissimus Stobaei editor, Wachsmuthius, haec annotat p. 578 voluminis quarti: „qui secuntur versus sine lemmate vel maiore distinctione cum priore disticho cohaerens in SMA separavit Meineke praeeunte Piersonio. cf. Meineke Com. IV, 226, nunc constat inter omnes Euripidea haec esse. Confirmat Choricius pro mimis VII, 4 Revue de philologie I, p. 223“. Sed iam Nemethyus non totum hoc fragmentum cum Ovidi carmine comparandum esse vidit, qui in commentario suo ad Ovidi versum primum Menandri (?) versus 4 et 5, ad 9—10 versus 6—9, ad 19—20 versus 14, 16 et ad v. 25 Menandri (?) versum decimum exscribit. neque fugit virum doctissimum apud ceteros poetas Graecos haud deesse locos, qui multo meliore iure cum his Ovidi versibus comparandi sint. Ita e. g. ad carminis Ovidiani versum primum citat Euripidis fragmentum (№ 1046), ubi maritus quidam, nimirum, haud sine dolore, dicit: μοχθοῦ μὲν ἄλλως θῆλυ φρουροῦντες γένος; ἥτις γὰρ αὐτὴ μὴ πέφυκεν ἔνδικος, τί δεῖ φυλάσσειν κ' ἁμαρτάνειν πλέον quod re vera quam maxime ad memoriam vv. 3—4 Ovidi reducit: *siqua metu dempto castast, ea denique castast. Quae, quia non licet, non facit, illa facit.* Ad

ea, quae Ovidius v. 19 maritum docet, multo propius Menandri versu 16 accedunt ea, quae ipse Naso Ar. III, 617—618 monebat: *Tot licet observet, adsit modo certa voluntas, Quot fuerat Argo lumina, verba dabis.* Necessitudo, quae inter hanc Ovidi elegiam et Amor. III, 4, 17—26 apparet, satis accurate iam ab A. Lueneburgo in dissertatione de Ovidi sui imitatore (p. 10) tractata est. Cum v. 25 Nemethyus Philodemi epigramma Anth. Pal. XII, 173, 5—6 contulit, ubi legimus: οὐ γὰρ ἕτοιμα βούλομαι· ἀλλὰ πρῶτα πᾶν τὸ φυλασσόμενον, sed de hac re videas quae supra attuli.

Sed initio ipsi huius elegiae, cuius prior tantum pars cum Menandri fragmento comparanda est, insunt sententiae, quae cum in οἰκονομίᾳ totius carminis haud leves partes agunt, tum apud Menandrum non inveniuntur. Ita nusquam comicorum princeps dixit corpus tantum non mentem uxoris custodiri posse (vv. 5—6). Deinde Ovidio iudice ubi custodia nil valet, obsequium, quo uxoris vitia multo aptius vincenda sunt, est adhibendum, quod consilium sapientissimum frustra per hoc Menandri, si Menandri est, fragmentum quaeras.

Sed quamquam haec omnia ad coniunctionem, quae inter Menandri fragmentum Ovidianique carminis partem priorem extet, recte aestimandam haud parvi momenti sunt, hos Ovidi versus tanto opere Menandrum (vel potius Euripidem?) redolere, quanto spatio idem carmen ab Eunuchi Terentianae scaena ultima distet, non est negandum. qua tamen necessitudine nunquam adduci possumus, ut Ovidium, quamvis bene Menandri thesauros cognitos habuerit, ex proprii ingenii copia haud pauca attulisse, quibus Menandri inventa variaret aliisque sublatis aliis additis nova redderet propriaque arte ornaret, obliviscamur. si autem discrimen, quod inter Menandri Ovidique de rebus expetendis fugiendisque doctrinas singuli versus prae se ferant, recte aestimaveris, Ovidium in hoc carmine componendo comicorum principem non servili modo imitatum, sed omnibus artis ingeniique sui proprietatibus servatis libere tantum secutum esse apparebit, ita ut hoc carmen non Menandri comoediae pars ad elegiaci carminis formam redacta, sed libere a poeta Romano compositum esse videatur. Ovidius licet singulos colores a Menandro sumpserit, universam fabulam suo sumptu fecit.

IV. Quamquam quos auctores graecos Plautus in Milite Glorioso componendo secutus sit, nondum scimus, haec fabula tam multa Menandro vel maxime digna vel eius artificiis simillima habet (cf. *F. Hueffner*, De Plauti comoediarum exemplis atticis quaestiones, Gottingae 1894, pp. 9, 10, 28, 29. *Fr. Leo*, Plautinische Forschungen, 103—104) ut ab hoc loco quaestiunculam, ususne Ovidius hac fabula sit necne, haud alienam esse putem. Theodorus enim Gollnisch dissertationis supra haud semel laudatae pagina 24 se aliquando occassione oblata et inventionem Ovidi Amor. II, 2 et permultas huius carminis singulas res ex ea comoedia graeca, quae Plauto in Milite Glorioso componenda usui fuerit, sumptas esse probaturum esse profitetur. Geyza Nemethyus autem antequam singulos versus eiusdem carminis explicaret iam omni dubitatione sublata (p. 161) dixit: „argumentum sumptum videtur ex comoedia Atticorum nova, ubi servi primarias agebant partes. In monitis servo datis inde a vv. 27 poeta ante oculos habuit Pl. Mil. Gl. II, 3 ubi Palaestrio monet conservum suum Sceledrum ne peccata dominae prodere audeat". Sed si accuratius et Plautinae Militis hanc scaenam et Ovidi carmen perlegeris, non tam multa communia apparebunt, ut poetam elegiacum a Plauto vel ipso vel illius auctore graeco pendere statuas. Apud Plautum enim Palaestrio Sceledro, eum nisi stultiloquium suum suppresserit dapsiliter periturum esse monet, cum dicit (vv. 297—298) *Primumdum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris; iterum si id verumst, tu ei custos additus eo perieris.* Quo efficit, ut Sceledrus incertus pendeat: *quid ego nunc faciam? custodem me illi miles addidit: nunc si indicium facio, interii, si taceo, interii tamen, si hoc palam fuerit* (305—307); Ovidius autem falsae insimulationis mentionem neque facit neque facere potuit, quia Bagoas ex ipso poeta personato non multo ante (v. 5—8) nihil nisi curam nimis molestam obstare, quominus puella amatoris cupidini indulgeret, audivit. longe aliter rem suam Palaestrio agit, qui quam maxime Sceledro persuadere studet Philocomasium ab omni culpa liberam esse (v. 319) eumque id videre, quod nusquam sit (v. 315). neque deest inter Ovidi Palaestrionisque consilia aliud discrimen, sed gravius, licet Naso quoque duplicem causam, ob quam Bagoas perire possit, proponat (vv. 53—54) *seu tepet, indicium securus perdis ad aures, sive amat officio fit miser ille tuo,* id est minime certum habeat, utrum puellae maritus re vera illam amet an lucri tantum cupidus leno maritus sit, qualem e. g. plurima et Anthologiae Palatinae et Martialis epigrammata praebeant: A. P. XI, 4, V, 40=Mart I, 73; A. P. XI, 278=Mart. I, 62, 5. A. P. IX, 168 (videas *Hans Poeschel*, Typen aus der Anthologia Palatina und Epigrammen Martials., München 1905, pp. 26—28): quae quam vere e vita petita sint, vel ea, quae Cicero (Verr. II, V. 82) de Cleomene Syracusano narrat, docent. Sed Palaestrio Sce-

ledro nihil simile dicere potuit, cum nulla iusta causa appareret, ob quam de militis sincero amore dubitare posset. Deinde Ovidius qui mores et amantium et omnium, quibuscunque eis versandum erat, tam bene cognitos habuit, mira cum arte animos et lenonis mariti et amatoris, qui *„credet neganti damnabitque oculos et sibi verba facit“* (v. 58) describit. Quam amatoris credulitatem nimiam Plautus hoc loco minime respexit, argumentumque quod apud Ovidium gravissime valet, qui dicit: *nulli sunt crimina grata marito* (v. 51), nullius momenti fecit. Ita fit ut et apud Ovidium et apud Plautum servis duplex periculum immineat, sed cum poeta elegiacus hanc duplicem culpam a diversis maritorum moribus pendere explicit, tum apud Plautum periculum e nulla re, nisi ex ipsius servi condicione fit, qui si veram puellae culpam militi detulerit, haud satis diligens custos, sin fictam—calumniator iniustissimus esse probabitur. Unde similem materiam ab utroque poeta diversis modis tractatam esse Ovidiumque causa non tam simplici electa in animos hominum profundius inspexisse multoque subtilius ac artificiosius rem suam egisse patet.

Sed Palaestrio et Ovidius, personatus nimirum, non verus—numquam enim fore spero, ut Nasonem Amorum libris veros amores suos narrasse credam, servos, quorum puellarum cura est, admonent eis aut tacendum aut poenas atrocissimas dandas esse, sed cum idem consilium diversis modis probent, poeta elegiacus ad versus inde a v. 47 nihil e Plauti fabula sumere potuit. Nullam quoque causam perspicio, ob quam Plautinos versus (348—351):

Hic illi subparasitatur semper, hic eae proxumust,
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur;
Nam illic noster est fortasse circiter triennium
Neque cuiquam quam illi in nostra meliust famulo familia

cum Ovidi versibus 27—30:

Conscius adsiduos commissi tollit honores,
Ille placet, versatque domum, neque verbera sentit,
Ille potens, alii—sordida turba—iacent

tam arte inter se coniunctos esse, ut alii ex aliis pendere videantur statuam, licet et Th. Gollnisch et editor hungaricus eos comparari iubeant. Rem enim usitatissimam narrat Plautus, quae quam vere vitam cotidianam redoleat vel ex eis, quae Cicero de Clodia, illa Lesbia Catulliana, narrat, pespici potest: *erat tam demens hic, cui vos ingenium certe tribuitis, etiam si cetera inimica oratione detrahitis, ut omnis suas fortunas alienis servis committeret? at quibus servis? refert enim magno opere id ipsum: cisne, quos intellegebat non communi condicione servitutis uti sed licentius, liberius, familiarius cum domina vivere? Quis enim hoc non videt, iudices, aut quis ignorat, in eius modi domo, in qua mater familias meretricio more vivat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia ac flagitia versentur, hic servos non esse servos? quibus omnia committantur, per quos omnia gerantur, qui versentur eisdem in voluptatibus, quibus occulta credantis, ad quos aliquantum etiam ex cotidianis sumptibus ac luxurie redundet* (Pro M. Caelio 23, § 57). Deinde apud Plautum Sceledrus incertus pendet, quid verum sit, quae ipse propriis oculis viderit, an quod Palaestrio nuper sibi persuadere studuerit. Quae dubitatio diutina non fuit, mox enim se collegit dixitque (v. 347): *ego quidem habeo meos oculos nec rogo utendos fore.* Versibus 348—351 qui sequuntur nihil aliud agit, nisi ut explicet, cur Palaestrionis fuerit Philocomasii crimen quam maxime tegere minimeque pati militem de hac re certiorem fieri. Nihil est enim mirum, si is, qui semper puellae subparasitatur, et in hac quoque re eius causam agere quam maxime studet. Propterea his omnibus perpensatis Sceledrus id ipsum, quod eius erat, agere statuit ostiumque sicut antea observare, id est Palaestrionis consilia omnia nihili facere. Haec enim vis laudatis Plautinae fabulae versibus inesse mihi quidem videtur. Ovidius autem longe ob aliam causam versus 27—31 posuit, ubi amator quam maxime illecebris eunuchum movere studet, ut per eum puellae suae libertas furtiva detur (v. 15) describitque quam blandissime ea praemia, quae Bagoas, si conscius furtivi amoris esse voluerit, laturus sit. Unde patet, quam diversis consiliis inducti et Plautus et Ovidius suo quisque operi hos versus intulerint, materiam autem eis non libros nescio quos sed vitam ipsam suppeditasse Ciceronis locus, quem modo attuli, docet.

Versus 187—190 Militis Plautinae:

Ut eum, qui hic se vidit, verbis vincat ne is se viderit..
Siquidem sentiens hic visa sit, tamen infitias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam.
Qui arguat se eum contra vincat iure iurando suo

Th. Gollnisch cum eiusdem carminis Ovidiani loco quodam conspirare

opinatur. Ego quidem sentiens hac elegia diligentissime perlecta praeter v. 57 *viderit ipse licet credet tamen ille neganti* (id est puellae maritus nimis credulus) nihil inveni, quod vel minimam similitudinem eorum Plauti versuum, quos modo attuli, prae se ferret. Comici enim graeci haud raro mulierum fallaciam, ab quam nihil eis credendum sit, atrocissime designant. Ita e. g. ex Aristophanis fabula quadam hoc fragmentum servatum est (251 K):

ἐγὼ γυναικὶ δ' ἕν τι πιστεύω μόνον
ἐπὰν ἀποθάνῃ μὴ βιώσεσθαι πάλιν,
τὰ δ' ἄλλ' ἀπιστῶ πάνθ' ἕως ἂν ἀποθάνῃ.

Neque desunt loci, ubi viri nihil tam difficile custoditu esse, quam uxorem moneant. Quo pertinet fragmentum quod Stobaeus (Flor.), tum Euripidi (174, 13 M), tum Alexidi (74, 42) tribuit, Theodorus autem Kockius ab Euripide factum sed ab Alexide in huius tragici parodia denuo retractatum esse opinatur (CAF. II, 407): οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος οὔτε χρήματα, οὐδ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή.

Quae omnia cum ita sint, num Plauti pulcherrimam fallaciae muliebris descriptionem, quam Menandri artem singularem iam A. Fr. Lorenz in commentario suo ad locum laudatum rectissime notavit, cum Ovidi tam paucis eisque satis hebetibus versibus comparare audebimus? Immo persuasum habeo, tenerorum lusorem amorum, si hunc Plauti locum ante oculos habuisset, qua morum muliebrium sit peritia, accuratius materiam hanc, aptatissimam suo ingenio, tractaturum fuisse. Sed ut ad Ovidi versum 57 redeam, nihil novi inauditique ibi dicit Naso. cf. vel Tibulli I, 2, 57—58: *Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam, non sibi, si in molli viderit ipse toro.* Deinde iam Albertus Lueneburg (op. cit. p. 14) ipsius Ovidi Am. III, 14 finem, ubi leginus v. 43: *si tamen in media deprensa tenebere culpa, Et fuerint oculis probra videnda meis, Quae bene visa mihi fuerint, bene visa negato. Concedent verbis lumina nostra tuis. Prona tibi vinci cupientem vincere palma est. Sit modo „non feci" dicere lingua memor. Cum tibi contingat verbis superare duobus, Etsi non causa, iudice vince tuo* et argumento et forma cum nostri carminis vv. 57—58 quam maxime cohaerere perspexit.

Haec consilia ab Ovidio Bagoae data quam vera sint, non nugae fictaque carmina, sed res gestae posterioris quidem temporis quam optime probant. Apud Procopium enim in histor. Arc. II, p. 15 Dind. de Belisarii uxore Antonina haec tradita sunt: τῇ δὲ μαχλοσύνῃ ἀεὶ προϊούσῃ ἐς κακὸν ἄφατον οἱ μὲν ἄλλοι θεώμενοι τὰ πραττόμενα ἐν σιωπῇ εἶχον,

δούλη δέ τις Μακεδονίς ὄνομα ἐν Συρακούσαις, ἡνίκα Σικελίας ἐκράτησε Βελισάριος ὅρκοις δεινοτάτοις τὸν δεσπότην καταλαβοῦσα μή ποτε αὐτὴν τῇ κεκτημένῃ καταπροήσεσθαι πάντα αὐτῷ λόγον ἐξήνεγκε δύο παιδάρια πρὸς μαρτυρίαν παρασχομένη οἷς δὴ τὰ ἀμφὶ τὸν κοιτῶνα ὑπηρετεῖν ἐπιμελέας ἦν. οὐ πολλῷ δὲ ὕστερον ἡ μαγγανεύσασα ἢ θωπεύσασα πείθει (id est Antonina) τὸν ἄνδρα ὡς οὐχ ὑγιὲς τὸ κατηγόρημα τὸ ταύτης γένοιτο καὶ ὡς Θεοδόσιον (amatorem suum) μὲν μελλήσει οὐδεμιᾷ μετεπέμψατο Μακεδονίαν τε καὶ τὰ παίδια τῇ γυναικὶ ἐκδοῦσθαι ὑπέστη οὓς δὲ ἅπαντας πρῶτα τὰς γλώττας ὥσπερ λέγουσιν, ἀποτεμοῦσα εἴτε κατὰ βραχὺ κρεουργήσασα καὶ θυλάκοις ἐμβεβλεμένη ὀκνήσει οὐδεμιᾷ ἔρριψε.

Quae omnia, quamquam ad Byzantini imperii tempora pertinent, optimo documento Bagoae esse poterant, ne Ovidi personati consilia prudentissima sperneret. cui Bagoae, ut obiter moneam, multo similior servo Plautino ille Myrmex esse videtur, cui Scorpio barbarus uxoris suae Aretae custodiam permisit, cuiusque casus varios Apuleius (Metam. IX, 17—21) lepidissime narravit.

Praeter Militem Gloriosum Gollnisch ad comparationis eiusdem carminis Alciphronis epistolas duas: III, 62 и 69 vocat, quarum priore parasitus quidam patroni sui domum ab adultero adulescente obsideri se scire dicit: ἐγὼ δὲ οἶδα τὸ δρᾶμα καὶ ὅσον οὐκ εἰς μικρὰν κατερῶ τῷ δεσπότῃ οὐ γὰρ βούλομαι χείρων φανῆναι τῶν κυνῶν αἱ τῶν τρεφόντων προυλακτοῦσι καὶ κήδονται... Ἐγὼ δὲ οὐκ ἐσίθ' ὅπως σιγήσομαι. Βούλομαι γὰρ ἐμαυτὸν οὐ παράσιτον ἀλλὰ φίλον ἐπιδεῖξαι. Ancillae autem, quae dominae causam agunt, eum, ne quid de hac re Lysiclem patronum suum certiorem faciat, monent. Aliter enim ἐκκορηθείης ὅτι ἄκαιρος εἶ καὶ λάλος, quo consilio spreto parasitus fidior quam prudentior omnia patefacturus est. Gollnischius cum hac epistola carmini Ovidiani versus 9/10, 19/20, 53, 55/56, 61/62 comparari iubet, quorum ne unus quidem vel levissimam similitudinis umbram praebet, quod quo clarius sit, vv. 61/62 exempli gratia adducere satis est: *quid dispar certamen inis? tibi verbera victo adsunt. in gremio iudicis illa sedet*, sed apud Alciphronem nihil tale legitur. Neque reliqui versus a Gollnischio laudati proprius ad Ovidi carmen aeque ac ad Militem Gloriosum accedunt.

Aliter res se habet in epistola 69 eiusdem libri, quae tam brevis est, ut nihil obstet ne totam ante oculos tuos, lector candide, exscriptam ponam: Ἐξηγόρευσα Μνησιλόχῳ τῷ Παιανεῖ τὴν τῆς γαμετῆς ἀσέλγειαν. καὶ ὃς δεῖν βασανίσαι δι' ἑρεύνης τὸ πρᾶγμα ποικίλης ὅρκῳ τὸ πᾶν ὁ χρυσοῦς ἐπέτρεψεν. ἀγαγοῦσα οὖν αὐτὸν ἡ γυνὴ εἰς τὸν Καλλίχορον τὸν ἐν Ἐλευσῖνι

φρέαρ ἀπωμόσατο καὶ ἀπεδύσατο τὴν αἰτίαν. καὶ ὁ μὲν ἀμηχέπη πέπεισται καὶ τὴν ὑποψίαν ἀπέβαλεν, ἐγὼ δὲ τὴν φλύαρον γλῶτταν ἀποτέμνειν ὀστράκῳ Τενεδίῳ τοῖς βουλομένοις ἕτοιμός εἰμι παρέχειν; quae epistola, quamvis a Plautina fabula longissimo intervallo distet neque cum Ovidi carmine plus necessitudinis quam illa Procopii de Antonina narratiuncula habere videtur, si quid simile praebet, nulla ex re nisi ex ipsius vitae, quam poetae imitatione reddere studebant, assidua redintegratione pendet.

B. Warnecke.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the rules of the Library or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE

C28(1140)M100

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

1010663460

88M52 DS

88M52 DS

D804995

MAY 27 1942